genda

anea

METAMORPHOSIS APOLLINIS

ET

NOVEM MVSARVM

Ingenuis nouem Adolescentibus,

DVM

Publicè Primam in Philos: Facultate Lauream susciperent,

CONSCRIPTA

Ab

Joanne Nicolao Gąsiewski, Artium & Phi: Baccal.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Martini Philipowski.
A. D. M. DC. XXXVII.

In Stem: Illustriss: & Mag: Dñi. D. CONSTANTINI LV-
BOMIRSKI Comitis in Wiśnicz Palatinid: Russiæ,
Biatoter: &c. &c. Capitanei.



Qualis in Elysio spectatur Phœbus Olympo
Lotus ab æquoreis cum citò surgit aquis.
Talis Sarmaticas LVBOMIRSCIA Fama per horas,
Fulget Magnanimis irradiata Viris.
Ipse Viris Fluuius potis est deferre nitorem,
Sed fluuio Pulchri dántq; dabuntq; Viri.

Jllustrissimo ac Magnifico Domino,
D. CONSTANTINO LUBOMIRSKI
Comiti in Wisnicz Palatinid: Russiæ, Białocer: &c. &c. Capitaneo P. F,

TAnta est in te Tuarum Virtutum Gratia, Illustr: ac Mag: Dñe, tanta ad omnes animi inclinatio, ut existimem, neminem reperiri posse, qui visa tui, tuarumq; formosarum virtutum imagine, non statim Tui, Virtutumq; amore rapiatur. Scit efficere, hoc præclara indoles tua, Magnanimaq; ad optima quæq; prona Natura tua, ut cum potentius Orpheo ad venerandum honorandumq; te, multos eosq; Maximos humanitate tua pertrahas, meæ tenuitati ad honorandum te omnis præcludatur aditus. Musa tamen mea tenuis, tanto se tutius & citius per angustias quoq; obstantes, aditum obtinere posse putauit, quanto te Illustr: ac Mag: Dñe, sublimem, amplissimum, ad alta natum, seq; humilem, tenuem, exiguam, uti ad illabendum expeditam, existimauit. Accipe igitur hoc exile eius officium, & obsequium: meæ vero cum eius obsequijs, nusquam intermoriturum in te obseruantiæ monumentum. Quod à te, tuarumq; manuum attactu pondus & valorem digniorem, à Tuo Gentilitio Amni, omni beneficiorum exuberantium copiâ pleno, splendorem & nitorem sperat non postremum.

Jllustrissimæ ac Mag: Dominationis Tuæ
semper subiectissimus.
Joannes Nicolaus Gąsiewski,
Art: & Phil: Bacc.

Ode

Ode Tric: Tetrast:

Si quando magnis adfueras Viris,
Apollo præsens. Nunc Helyconiá
Accinctus adsis promptus aulâ,
Cum lituis, cytharisq; promptus.
Nunc est nouenus nam Numerus mihi
Ornandus amplâ Laudis adoreâ,
Cui laurus æternùm, virescens,
Assiduo viret a Labore.
Pridem benignis Gratia Vocibus,
Quem destinatâ tractat adoreâ
Nec erubescendo susurrans
Murmure mellifluoq; pridem
Clamat precatu. Quicquid habes, age
Tuis repellas mentibus, heu citò
Appelle nauem, plebs nouena
Digna diu meliore portu
Huc/cum recepto vellere Colchici,
Velis coactam defer Iasonis,
Nauemq; quæsitasq; naui
Defer opes, preciumq; defer.
Ergo nouenas mitte Pater Deas,
Simul nouenos vt celebrent Viros,
Virtute doctrinâq; Musis,
Et numero similes Noueno,
Sed nec petitus deproperat Deus,
Deiq; castæ nec properant Deæ,
Pudetne Vatum cum Nouenis
Huc properare Deum Camœnis?

Bellumne Marti, vel remeabili
Cantas Erynni? proyce Clasſicum
Martis, coronatamq; myrto
Sume chelym cytharamq; Phæbe.
O Phæbe pulcher, pulchrior Heſpero
Vincens venuſtæ Lumina Cynthiæ
Vincens ſuperbi, & Concoloris
Hinc Iouis, hinc Ganymedis ora.
Laudatus at nec deproperat Deus,
Deiq; caſtæ nec properant Deæ
Pigetne Vatum cum Nouenis
Huc properare Deum Camænis?
Pudet fateri; ſed liceat tamen
Vobis fateri, qui toties ſacras
Potare vos vndas putatis
Caſtaliasq; videre Muſas.
Vetuſta ſunt hæc omnia ſomnia,
Quæ de vetuſto fabula Apolline
Narrauit; & ventos reguſtat
Aonios capiens liquores.
Hac Claſſe totum verificabitur
Quod de vetuſto ſparſit Apolline
Gens priſca Vatum, de nouenà
Quicquid ab ore vomebat aulâ
Spectare poſcis quiſquis Apollinem,
Vaſtà ſedentem Montis in areà,
Attolle vultus in Cathedram,
In Cathedraq; videto Phæbum
Et qui nouenas cernere vis Deas,
Sub montis alto conſpicuas iugo.

Cerne nouenam Classe Turbam
Classe Nouemq; putato Musas.
Nam quod nouenæ perficiunt Deæ
Istud Noueni perficiunt Viri
Et gesta, famosasq; Regum
Ore queunt celebrare Laudes.
Ergo Polonis Phæbe fugax plagis
Quocunq; terræ viuis in ambitu,
Redire festina Camænas.
Tuq; tuos inhibeto Cursus.
Adsunt nouenæ quandoquidem Deæ,
Apolloq; ipso maior Apolline
Habens Nouenam sub Cathedra
Non secus ac Helycone Turbam
Nunc ergo fulges pulchra virentibus
Nouena quando Turba nitoribus
Nunc mille Chordas pro nouenis
Instru e Turba tibi Camænis,

METHAMORPHOSIS MVSARVM.

1 *Bartholomæus Mleczkowicz: Calliope.*

Primam te genuit genitrix Accademia Musam,
Calliopen, Magnis quæ canit Io Viris.
Ergo prima Deæ, primam Dea proyce formam,
Dignior hac formà Bartholomæus adest.

2 *Ioannes Malkowicz. Clio.*

Quæ te perspicuo doctrinæ lacte fouebat
Nunc aliam genitrix te creat Alma Deam.

Natus

Natus es ergo dein, natus licet ante fuiſti,
Verè Małkowicz ergo ſecundus ades.

3 *Chriſtophorus Wciſłowſki. Erato.*

Tertia iam proprium Nomen procul abyce Muſa,
Nam tua Chriſtophorus nomina dignus habet,
Nomine Chriſtophorus Chriſtum, ſi ferre meretur,
Ferre tuum nomen, quàm bene dignus erit.

4 *Albertus Dunáienſki. Thalia.*

Propria quarta tibi dum reddit Nomina Muſa,
Dicito, quarta tibi Nomina numne placent?
Neſcio num nomen placet huius ſumere Muſæ,
Sed Muſæ, Nomen reddere credo placet.

5 *Stan: Skirwinſki Melpomene.*

Te virtutis Honos, redditq; Modeſtia gratum,
Debes ſic mediæ Nomina ferre Deæ,
Ergo loco ſtantem medio te quando videbo,
Virtutem medio ſtare videbo loco.

6 *Ioannes Makowiecki, Terpsychore.*

Omnibus eſſe bonus, verax vis omnibus eſſe
Te ſextam Genitrix nunc creat Alma Deam.
Bis puto te natum, nam ſunt tibi Nomina bina
Sic bonus & verax, bis ſimul eſſe potes.

7 *Symon Łosiecki Euterpe.*

Non ſatis eſt. Celebrem ſuperindue Septime Muſam
In te quæ Caſto, viuere Caſta cupit.
Ergo Deæ Caſtæ, cum nomina Caſta mereris
Vir bonus eſto tibi Virgo pudoris eris

8 *Part: Starczynski polyhymnia.*

Quamuis Bartholomæus ades, tamen accipe Musam,
Ex vno posthac binus vt esse queas,
Sis iam Musa tibi, Doctrinæ sis quoque; Cuius
Bartholomæus eris dicito quæso? Meus.

9 *Albertus Nizolowicz Vrania.*

Vltimus es video, Nomen dat enim vltima Musa,
Vnica virtus es deliciæq; patris,
Vltimus es quamvis, cum sis tamen vnica virtus
Tunc virtus medio vult tua stare loco.

IN STEMMA ALMÆ ACA: CRA:

Inuidiæ stimulis Academica tecta premuntur,
Nescio quo tandem robore fixa manent.
Robore fixa manent Sceptrorum nempe duorum
Hoc pietatis adest, illud at Artis adest.
Ergo cum durat geminis Academia Sceptris,
Sceptra manent fixæ bina Columna Domus.

Michael Jozephus Zaleski,
Art: & Phil: Bac:

Sub felicibus Auspiciis Perillustris & Adm.
Rndi. Domini,

D. DANIELIS SIGONII,
S. T. D. & Profess. Ecclesiæ Cathed.
Crac. Canonici, Vniuersitatis Al-
mæ Acad. Crac.
GENERALIS RECTORIS.

e2

